suam comedere et bibere, sicut cum saturatus ad plenum iam foret
eructuabat que devoraverat in aere quodam et sic in fumum
dicebat consumens omnia assumpta velut ignis ardore. Quod cum
senex ille intellexisset, vii diebus ieiunavit atque intente
orans, demoniacum illum per dei gratiam sanatum sue parenti re-
stituebat. Quod ad sanctum or. venerunt demones in specie angelorum.

Convenerunt alii ad sanctum or. demones in specie celestis mili-
cie et habitu angelorum currus igneos agentes, et plurimo
apparatu tamquam magnum aliquem regem deducentes, isque qui a ceteris
ut rex haberi videbatur dicebat ad eum. Implesti omnia opera
homo, superest ut adores me et transferam te sicut heliam prophetam.
Sed ille hec audiens dicebat in corde suo. Quid est hoc. Cot-
tidie salvatorem meum qui est meus rex, hic si esset ille, quomodo
a me posceret quod indesinenter me facere scit. Et post hec respondit
illi. Ego habeo regem quem cottidie sine intermissione adoro, tu
non es meus rex, et continuo illa omnis disparuit phantasia.

Quod quidam per orationem a luxuria liberatus est.

Quidam solitarius habuit quendam ministrantem sibi necessaria qui
manebat in civitate. Cum autem ille tardasset per dies aliquos, et
senex necessaria defecisset, dixit discipulo suo. Vis ire in vicum. At
ille. Quod vis pater faciam. Timebat autem ire ad vicum, tamen ne
inobediens videretur promisit se iturum. Dixitque senex, vade
confide in deum qui protegat te ab omni temptacione. Cumque venis-
set ad vicum et pulsasset ad ostium illius, contigit ut nemo esset
in domo preter filiam suam. Et cum aperuisset ostium et frater eam pro
patre requireret, et cur tot diebus tardasset, illa eum hortabatur
ingredi domum. Cum autem non acquiesceret, illa prevaluit et traxit eum
ad se. Cumque vidisset frater quia ad peccatum trahebatur et urgerent
eum cogitaciones, ingemuit et clamavit dicens. Domine deus
meus, propter orationem eius qui misit me salva me ex hac hora, et

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 596, p. 16 – Excerpts from the lives and teachings of the Monastic Fathers (http://www.e-codices.ch/en/csg/0596/16)